



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,  
opusculum:||**

**Clicthove, Josse**

**Coloniae, 1527**

**VD16 C 4208**

Q[...], uirtute uerboru[m] Christi, co[n]secrationi faciendae  
designatoru[m]: panis in corpus Christi uere co[n]uertatur, & uinu[m]  
calicis in preciosum eius sangu[inem]. XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30220**

tantæ rei decorem? Quid si in hac celebritate aliqua  
fiât præter modum & rationem: imo per abusum  
quendam, superinductum ab eo homine inimico  
qui gaudet & assidue studet in agro dñico, bono  
semini superfeminare zizania: nunquid idcirco da-  
mnâda est ipsa festi institutio, aut celebris eius ob-  
seruatio? Reseentur potius acuta falce ecclesiasti-  
cæ seueritatis & autoritatis illa mala & noxia gra-  
mina: quæ ita succrescunt sensim, & pmaneat recta  
instituta: rônabile hoim obsequiũ circa hoc supdi-  
uinum mysterium, cõsolidantia & cõfirmantia.

Matt. 15

¶ Quid uirtute uerborum Christi, consecra-  
tioni faciendæ designatorum: panis in cor-  
pus Christi uere conuertatur, & uinum ca-  
licis in preciosum eius sanguinem.

Cap. XX.

**O**STensum iam facis superque putamus: **I**  
in sancta Eucharistia, uere & re ipsa  
Christi corpus cõtineri. Nunc reliquũ  
est paucis aperire, quoniam pacto illic  
incipiat ipsum esse: quod ante ibidem  
non fuerat. an transmutatione aliqua interuenien-  
te: aut citra omnem permutationem. Ad quod di-  
nosendum: id unum ante omnia firmiter habend-  
um sancit catholica religio. quæ per prolationem  
ueroꝝ a Christo domino institutoꝝ ad perfici-  
endam sacræ eucharistiæ consecrationem: panis  
ipse in altari propositus, ueraciter in corpus Chri-  
cõuertitur, & uinũ in calice bñdictionis contentũ  
in ueroꝝ eius sanguinẽ. Pro cuius asserti solida com-  
probatione, sufficere certe deberet illa publica toti-  
us ecclesiæ professio: quæ i prosa illa de sacrosctã eu-

Eccle. ca. 2  
tholicæ  
professio  
de euchar-  
istia.

## DE SACRAMENTO

charitatis sacramento admodum præclara (cuius paulo ante meminimus) religiose concinnitur. Dogma datur Christianis: quod in carnem transit panis, & uinum in sanguinem. Adiunge si lubet, & hymni illius modulatissimi. Pange lingua gloriosi corporis mysterium. hunc uersum, in maiore corroboracionem. Verbum caro, panem uerum, uerbo carnem efficit: fitque sanguis Christi, merum.

2

Eusebius  
Emisenus

¶ Verum ut exploratior euadat & perspectior hæc fidei doctrina: sacrosæ patris testimonio eandem annitemur suffulcire & comunire. Et primùm Eusebii Emiseni, dicentis. Inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas, in substantiam corporis sui & sanguinis: uerbo suo, se creata potestate conuertit. Et paulo post. Nouum tibi & impossibile esse non debet, quod in Christi substantiam terrena & mortalia conuertantur. Cui consonat Ambrosius in 4. li. de sacramentis, capite 4

Ambrosi.

Psal. 148.

dicens. Si tanta uis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatius est, ut sint quæ erant & in aliud commutentur. Cælum non erat, mare non erat: terra non erat. Sed audi dicentem. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est. Et nonnullis interiectis exemplis, ex sacra depromptis scriptura: ad ostendendam diuinæ uirtutis in operibus naturæ usum transcendentibus magnitudinem, circa finem eiusdem capituli, ita rem propositam colligit. Ergo didicisti quod ex pane fiat corpus Christi. Et quod uinum & aqua in calicem mittitur: sed fit sanguis, consecratione uerbi cœlestis. Hæc Ambrosius, ibidem. Eandem quoque sententiam

confirmat Augustinus: his uerbis. Ex substantia panis & uini mystice corpus Christi consecratur. Et paulo post. Corpus Christi & sanguis, in uirtute spūs sancti: ex panis & uini substantia efficitur. Rursum idē. Per spm̄ sanctū, hanc. s. panis substantiam, suam efficit carnē: & trāsit uinum in sanguinem. Et iterū. Credendum est: q̄ in uerbis Christi sacramenta conficiantur. Cuius. n. potentia creatur prius. s. panis & uinū: eius utiq; uerbo, ad melius procreantur. ¶ Insuper in epistolis decretal. tit. de celebratione missarū, cap. cum Marthæ. dicit Innocent. III. Christus panem & uinum, in corpus & sanguinem suum proprie cōmutauit. Et uenerabilis pater, Hugo de S. Victore, in secundi lib. de sacramentis parte octaua, secundoq; partis illius capite, inquit: Sacramentū corporis & sanguinis sui, ipse dominus Iesus Christus instituit: qm̄ post cœnam ueteris paschæ, panem & uinum in corpus & sanguinem suum diuina potentia transmutans, apostolis sumendum tribuit: & ut idem post, hoc in memoriam sui agerent, præcepit. Accedit illi & Damascenus, in quarti libri suarū sententiarū cap. decimoquarto, dicens: Corpus Christi secundum ueritatem coniunctū est diuinitati: quod ex sancta uirgine corpus est. non q̄ ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit: sed q̄ ipse panis & uinū transmutatur in corpus & sanguinem dei. Et paulo post, eodem in loco. Sic & propositiōis panis, uinumq; & aqua: per inuocationem & aduentū spūs sancti, supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi. & non sunt duo, sed unum & idem. Plura deniq; in eandem rem testimonio, facile colligas ex dictis sanctorū patrū: supra adductis cap. 11. & 12. præsentis libri: & ex

August.

§

Innocen. §

Hug. de s. Victore

Damasc.

## DE SACRAMENTO

canonicarū sanctionū libro ibidē diffusius citatis.

4  
In eucharistia nō manere panē post consecrationem

¶ Ex his utiq; perspicuum est, non esse recipiendā illoꝝ sententiam: qui astruunt post cōsecrationem manere substantiam panis simul cū corpore Christi, sub illius forma contento. & nihil præexistēs ibi ante cōsecrationem, desinere esse, sed q̄dā quasi consubstantiationem siue consistentiā corporis Christi & panis sub eadem forma uisibili fieri. Nā cum unum quippiā in aliud secundū substantiam conuerti dī: facta ea conuersione, non manet conuersa substātia cū ea in quam dicitur cōuersa. Vt

Gene. 19

cum uxor Loth conuersa legitur in statuam salis non mā sit tota mulieris illius substantia cū ea statua, facta illa mutatione. Et cum uirga Moysi uersa est colubrū, ubi diuino iussu proiecta fuerat in

Exodi. 4.

terram: non simul fuit tota uirgæ illius substantia cum ipso colubro. Alioqui nulla ibi facta fuisset uersio: quod scripturæ sacræ uerbis aduersatur.

Ioan. 2

Demum cum diuina uirtute, aqua in nuptijs facta est uinū: non superfluit aquæ prioris substantia cū uino, in quod conuersa dicitur. Atqui testimonio officij ecclesiastici ab omnibus approbato, & multiplici sacroꝝ scriptoꝝ autoritate, mō cōmonstratum est: per uerba consecratoria panem in Christi corpus conuerti, & uinū in sanguinē eius preciosum. Non igitur manet tota panis substantia cum corpore Christi: sub eisdem proprietatibus accidētarijs panis, neq; sustātia tota uini: cū eius sanguine. Alias nulla esset ibidem facta trāsmutatio, uirtute uerboꝝ Christi: quod omēs sacri autores uno ore negant. Quocirca non est admittenda hmōi cōsubstantiatio corporis Christi cum pane materia-  
li: neq; impanatio eiusdem corporis, ut alioꝝ utarū uocabula: qui impanatum Christi corpus ponunt

& simul cum pane subsistens. Hanc autē assertio-  
 nem erroneam de permanentia substantiæ panis  
 materialis cum corpore Christi & uini cū sangui-  
 ne, post consecrationem: satis superque damnauit  
 sacrosancta synodus Constantien. in cōdemnatione  
 huius primi articuli Ioannis Viclefi. Substantia pa-  
 nis materialis, & similiter substantia uini materia-  
 lis manet in sacramento altaris, ut supra in secūdo  
 capit. libri præsentis: est dictum. Insuper ea ferme  
 omnia quæ per totum hunc librum ex sacris lite-  
 ris, sanctionibus canonicis, & orthodoxorū patrum  
 sententijs hæcenus sunt adducta: hanc etiam con-  
 futant impiam positionem: ut non opus sit nouis  
 rationibus aut testimonijs ad ipsam amplius im-  
 probandam. Eandem tñ pestilentem doctrinam:  
 Lutherus cum suis affectatoribus resuscitasse no-  
 scitur superioribus annis, inter cætera sua uirulē-  
 ta letiferaque dogmata: ut ipsi ecclesiæ catholicæ  
 (quam implacabili odio persequitur) hac etiā in  
 parte aduersetur. ¶ Neq; etiam probanda est illo-  
 rum sententia, q̄ dicunt q̄ substantia quæ fuit pri-  
 mo panis: postea est caro Christi. Nam id ipsum fi-  
 eri non posset: nisi deperdita forma panis, materia  
 eius manens susciperet in se formā corporis Chri-  
 sti, & ab ea aniretur. Quæ admodū cū substan-  
 tia aeris fit aquæ substantia: deperdita aeris for-  
 ma substantifica, recipitur in illius materia, for-  
 ma aquæ. Et cum substantia ligni fit ignis: deper-  
 ditur ligni forma, & eidem materiæ postea inest  
 forma ignis. Non. n. humana mens cōcipere posset  
 aut intelligere: unam substantiam postea esse aliā  
 sine facta prioris substantiæ saltē secundum for-  
 mam deperditione, cum sit impossibile, imo in-  
 tellectu incomprehensibile, substantiam unam,

Syn, Coñ.

De hoc,  
 amplius i  
 ult. cap. li.  
 sequentis:  
 S

In eucharī-  
 stia, panē  
 nō eē cor-  
 pus Chri-  
 sti.

## DE SACRAMENTO

manentē omnino integram, esse postea aliā substā-  
tiam ut unam prorsus & eandē rem: esse panē &  
simul corpus Christi, eādē quoq; esse aerem &  
aquam: unam deniq; substantiā esse lignū & ignē  
Naturali. n. conditione, ita illa sunt inter se diuersa:  
ut nullo mō unū esse possit aliud, ambobus in sua  
substantia integre manentibus. Vt igitur substan-  
tia q̄ fuit primo panis, postea sit corpus Christi:  
oporteret saltem formā substantiæ panis corrūpi,  
& deinde eidem materiæ panis subesse formā cor-  
poris Christi. Hoc aut prorsus est absurdū. Nam  
tūc quotidie glorioso corpori christi noua adijce-  
tur materia: unde cōtinuum susciperet incremen-  
tum. Et certe iam in immensam excreuisset molē  
sacrę illud corpus: si a tempore institutionis my-  
sterij eucharistiæ, tota hostiæ consecratæ mate-  
ria, fuisset ipsi adiecta. Deberet itidem illa de no-  
uo animari ab anima rationali Christi: & uniri di-  
uinitati. & ita lōge maior esset pars sacri eius cor-  
poris quæ non fuisset sumpta de substantia sacra-  
tissimæ uirginis matris, sed per usum frequentem  
consecrationis illi ab extrinseco adueniens: quā  
ea quam accepisset de gloriosæ matris substantia,  
in qua passus fuisset mortē & resurrexisset a mor-  
te. Sed quam ratione (obsecro) corpori iam glo-  
rioso, & dote immortalitatis atque impassibilita-  
tis adornato: fieret noua quotidie accessio mate-  
riæ? ¶ Repudiata igitur secundo loco ea sententia  
quā tot sequuntur absurditates: hæc tertia est fir-  
miter amplectenda, q̄ per uerborum consecrati-  
onis prolationē, substantia panis definit esse in eu-  
charistia: & manent solum eius accidentia. color,  
sapor, grauitas, figura, q̄ritas & similia, sine subie-  
cto, & sub illis accidētibus incipit esse corpus Chri-

In eucha-  
ristia ma-  
teriā panis  
non adijci  
corpori  
Christi

6  
Fides ec-  
clesiæ, te-  
nēda de eu-  
charistia

quod tamen ipsis nequaquam afficitur. Et ita de uini secundum substantiam desitione, & sanguinis Christi subsistentia sub illis accidentarijs proprietatibus: est dicendum.

Transubstantiationem in eucharistia: & ecclesiae determinatione comprobari, & sanctorum patrum graui autoritate. Cap XX

**H**Anc autem conuersionis speciem, in fine precedentis capituli explicatam, & super omnes alias admirabilem: uocat ecclesia sancta & auctores sacri, transubstantiationem. Quam esse diffiniunt conuersionem substantiae totius in alteram totam substantiam; non habentem communem materiam cum priore. Quam sane omnino diuersi esse generis ab alijs conuersionibus, cum naturalibus: et supernaturalibus. haud difficile conuincitur. Tum quod in alijs (quae naturae fiunt lege) conuersionibus substantialibus: prioris substantiae materia substerni uel est & subiectum formae, substantiae posterioris, ut habeat succedens substantia, eandem communemque materiam: cum precedente. Quemadmodum cum ex ligno fit ignis, materia ligni substernitur atque subicitur formae ignis producti: & manet integra: transmutatione facta. In hac uero conuersione panis in corpus Christi: non manet completa mutatio, materia panis, ut recipiat in se formam substantialem corporis Christi. sed tota perditur simul cum forma panis: ut ibi sit totius substantiae panis desitio. Tum etiam, quoniam in alijs etiam supra naturam factis conuersionibus accidentia prioris substantiae non leguntur permansisse incolumia post completam transmutationem.

Quid transubstantiatio.

Transubstantiatio nis, ab alijs mutationibus, differetia.